Jahresbericht

über

das Königliche Domgymnasium

zu

Halberstadt

während des Schuljahres von Ostern 1849 bis dahin 1850

von

dem Director **Dr. Theodor Schmid.**



Voran gehen zwei Abhandlungen:

1. Q. Horatii pater a vanitatis crimine vindicatus. Scr. **Th. Schmid.**
2. De codicibus scr. libr. IV. et V. orationum Verrinarum. Scr. **Ad. Jordan.**



Halberstadt,
gedruckt bei Carl Heinrich Friedrich Dölle.

Die beiden voranstehenden Abhandlungen waren zunächst einer Gratulationsschrift, welche das hiesige Gymnasium dem benachbarten Lyceum zu Wernigerode bei seiner dritten Säcularfeier am 21. August 1850 überreichte, von zwei ehemaligen Schülern der Jubelanstalt beigegeben. In der erstern bittet man folgende Druckfehler zu verbessern: S. 2, Z. 16 v. o. centurionibus st. centorionib., S. 6, Z. 4 v. o. annotavimus st. annovavimus, Z. 12 v. o. exaequemus st. exaequamus, Z. 9 v. u. patre st. patro, S. 9, Z. 11 v. o. manquolt st. manqnois.

Quinti Horatii Flacci pater a vanitatis crimine vindicatus.

Scr. *Th. Schmid.*

Horatius in Satira libri primi sexta quum patri suo sibique monumentum aere perennius erigat, usus est his verbis (v. 65 —

— „Si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos,
Si neque avaritiam neque sordes aut mala lustra
Obiiciet vere quisquam mihi, purus et insons,
Ut me collaudem, si et vivo carus amicis;
Caussa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus aera,
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentis,
In magno ut populo, si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnis
Circum doctores aderat. Quid multa? Pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto verum opprobrio quoque turpi,
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus: at hoc nunc
Laus illi debetur et a me gratia maior.“

Quamquam de hoc loco optime disputatum est a *Carolo Friderico Hermanno,* viro singulari, qui (in disputatione de loco Horatii Serm. I, 6, 71—76. Marburgi MDCCCXXXVIII) plurimos interpretum errores feliciter et ingeniose sustulit, tamen non possum, quin una in re a doctissimo viro discedam. Liceat igitur mihi in re tenui indaganda legentium patientia paullisper abuti; quamquam amor Venusini poëtae meus facit, ut nihil mihi parvum videri possit, quod ad eum quomodocunque pertineat, praesertim si de fama hominis agitur.

Etiamsi pro certo dici non potest, quod quidem *G. Fr. Grotefendus,* vir de Horatio optime meritus, cum aliis affirmat, Quinti patrem natione Graecum fuisse, e mira tamen diligentia, qua filii educationem Venusiae ipse incepit et postea Romae continuandam curavit, colligere possumus, eum fuisse hominem sapientiae et humanitatis plenum eruditioremque, quam coloni Latini et libertini esse solebant. Nam quum quanto filius ingenio praeditus esset, intellexisset neque melius se puero consulturum judicaret, quam si liberalibus artibus erudiendum curaret, »macro pauper agello« noluit Venusiae, ubi coactoris exiguo munere fungebatur, ludum, cui Flavius tum praeerat magister, ab »infante non sine Dis animoso« frequentari, quamquam in eum magni pueri e magnis centurionibus orti ibant; sed relicto vel vendito agello

— „*puerum est ausus Romam portare docendum*
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentis,
In magno ut populo, si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.“

Omnes fere Horatii interpretes summis efferunt laudibus Quinti patrem, quod filio non solum eosdem, quos equites et senatores filiis suis, praeceptores dederit, sed etiam vestimentorum servorumque apparatum addiderit. *Richterus* quidem in dissertatione de Q. Horatii Flacci vita, Zwickaviae a. 1830 edita, pag. 145 quum dicit, iis tantummodo, qui divitiis non essent destituti, tum Romae fuisse ad educandos erudiendosque suos occasionem, Horatii patrem eo minus accensere divitibus dubitat, quo distinctius ipse poeta variis locis profiteatur, satis sibi patrem opulentum fuisse. Equidem, ut dicam, quod sentio, *Richterum* scholiastarum veterum more modoque ex hoc ipso loco collegisse puto, quod pro certa notitia venditat, quum de „variis illis locis“, quos commemorat, neque vero accuratius significat, nihil mihi innotuerit. Poëta potius patrem „*macro pauperem agello*“ dicit, se ipsum vero „*pauperum sanguinem parentum*“ (Carm. II, 20, 5 *) et „*in*

*) — — *Non ego, pauperum*
Sanguis parentum, non ego, quem vocas
Dilecte, Maecenas, obibo.

tenui re maiores pennas nido extendisse« (Epist. I. 20, 21 cf. etiam Sat. I, 6, 59.) ingenue profitetur. Sed his missis, haud scio, an sumptus illi, quibus senatores et equites aemulandos sibi proposuerit, in vitium potius quam in laudem patri vertendi sint. Hoc sensit, quod sciam, unus *W. E. Weber*, quum excusans patris vanum gloriolae studium in libello, qui inscribitur: *Quintus Horatius Flaccus, als Mensch und Dichter*, pag. 9. scribit: »Obgleich die Function eines Steuererhebers (coactor) zu den gering angesehenen gehörte, wie sie denn Horaz mit der des *praeco* d. i. des Ausrufers bei Auctionen, öffentlichen Bekanntmachungen u. dgl. zusammenstellt: so war die Gesinnung des Mannes doch offenbar über sein Gewerbe erhaben, *und tritt in derselben auch einiger in den Verhältnissen des Freigelassenen doch wahrlich zu entschuldigender Ehrgeiz, den Sohn über des Vaters Stand möglichst hinauszuheben, ja eine gewisse anmaassliche Zärtlichkeit des Elternstolzes in dessen Erziehung hervor*, *besonders wenn er den letztern im äusser-*

Ita iungenda et distinguenda esse haec verba cum Scholiastis (Acrone et vet Comment. Cruquii) et antiquis interpretibus Antonio Mancinello, Jodoco Badio Ascensio, al. iam olim (Jen. Lit. Zeit. 1837. No. 217. pag 293) ostendi hodieque cum *Obbario* meo, quem assentire mihi video, contendo. Plerique tamen interpretes etiam recentissimi, *Orellius*, *Dillenburger*, *Düntzer* al., scilicet verentes, ne vocativus *dilecte* cum *Maecenas* iungi posset, in alia omnia transierunt. At vero nulli, opinor, lectori Romano ita haec verba iungere in animum venire poterat, quum Horatius, ut Maecenate inferior, salva verecundia non posset dicere *Dilecte Maecenas*. Horatius enim Maecenatem „cautum dignos assumere“ (Sat. I, 6, 51.), „suarum grande decus columenque rerum“ (Carm. II, 17, 4.) atque „tutelam“ (Epist. I, 1, 103.), qui ab eo „rex paterque“ vocabatur „coram nec verbo parcius absens“ (Epist. I, 7, 37.), quique poëtam „saepe verecundum“ (ibid.) laudavit, reverebatur potius quam diligebat. *Diligunt* enim magni et potentes sibi amicos infra se positos aut certe pares, numquam inferiores dicuntur *diligere* amicos potentiores. Ita Caesari Augusto *„dilecti sunt Virgilius Variusque poëtae“* (Epist. II, 1, 247.), *„Latonamque supremo Dilectam penitus Jovi“* videmus Carm. I, 21, 3. 4. Conf. praeterea Plin. Epist. IX, 5: *„Egregie facis, quod iustitiam tuam provincialibus multa humanitate commendas, cuius praecipua pars est, honestissimum quemque complecti, atque ita a m i n o r i b u s a m a r i, ut simul a p r i n c i p i b u s d i l i g a r e.“* — Unus quidem Cod. scriptus Vanderburgi pro *Dilecte* exhibet *Dilectum*, quae scriptura sine dubio librarii est correctio, quem offendit vocativus sic positus. At de vocativo cf. Evangel. Lucae VI, 46: Τί δέ με καλεῖτε κύριε, κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε, ἃ λέγω. Videatur etiam *Kruegerus* meus in grammatica latina pag. 397, Dissen. ad Tibull. I, 7, 53, Heindorf ad Sat. II, 6, 20, ubi simili modo vocativus pro nominativo per attractionem positus est. Jam vero optime opponuntur haec verba: *„quem vocas Dilecte, Maecenas“* invidiosae illi obtrectatorum suorum appellationi: *„pauperum sanguis parentum“*, quem, ut ipse ait poëta (Sat. I, 6, 45.) omnes rodebant *„libertino patre natum.“* Recte interpretatus est hunc locum Jo. H. Voss:

— — — nein, ich Entsprossener
Von armen Eltern, nein, den „Geliebter“ du
Oft nennst, Maecenas, nimmer sterb' ich.

lichen Aufzuge den edelsten freigebornen Kindern gleichstellt: so können wir doch nicht anders als seine Grundsätze durchaus liberal, praktisch und durch den Erfolg in des Sohnes Ausbildung und Charakter gerechtfertigt finden.« At quidquid vir doctus ad patrem excusandum profert, equidem non video, quomodo vana illa ostentatio, luxuries atque aemulatio divitum et potentiorum, quam poëta saepius (Sat. II, 3, 310 seqq. Epist. I, 1, 91 seqq. Epist. I, 18, 22—36) deridet, moribus patris, quales filius ipse describit, conveniat. Fuit enim Horatii pater homo frugi, qui non tam ieiunis praeceptis et commonitionibus, quam „exemplis vitiorum quaeque notando“ (Sat. I, 4, 105 seqq.) »traditum ab antiquis morem servaret puero vitamque et famam incolumem praestaret“, donec sine cortice nataturus esset.

„Quum me hortaretur, parce, frugaliter atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
Nonne vides, Albi ut male vivat filius atque
Barrus inops? Magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit.« (Sat. I, 4, 107 seqq.)

Immo vero Quinti pater ab omni inani gloriolae aucupio tam alienus fuit, ut non id spectaret, ut lautiorem sibi aliquando filius rem pararet, neque ut eius nobilitate olim ipse laudem caperet, sed verae filii humanitati morumque honestati unice prospiciens ne timeret quidem,

— sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco) parvas aut, ut ipse fuit, coactor*
Mercedes

filius sequeretur. Quorum praeceptorum memorem Horatium, »cui olim paruisset legio Romana tribuno« (Sat. I. 6, 48) scriptum sibi quaestorium (i. e. locum inter scribas quae-

*) Ex hoc loco *Frid. Jacobs* (Lectionu. Venusin. pag. 119.) cum aliis male collegisse videtur, Horatii patrem fuisse *praeconem*, quae opinio nullis locis firmatur, hoc autem ipso loco refellitur. Recte Suetonius in vita Horatii: „patre libertino et exactionum coactore.“ Quo munere Venusiae, non Romae demum fungebatur, ut bene docuit Duentzer. Hoc patris munus respicere videtur poëta. quum sub finem huius Satirae v. 130. 131 scribit:

His me consolor victurum suavius ac si
Quaestor avus, pater atque meus patruusque fuisset.

Minime enim, quod Doeringio placuit, *invidiose* dixit *quaestor* pro *consul* vel *praetor*, quia quaestores divitiarum congerendarum cupiditate infames, non raro exempla exstarent, de quorum nobilitate parum se iactare possent nepotes. Ad generis nobilitatem declarandam Horatius non dicit *consul* vel *praetor*, sed respectu muneris paterni habito *quaestor; coactor* enim simili munere fungebatur apud privatos, quali *quaestor* in republica. Lepide igitur quaestoris filio se ipsum coactoris filium opponit.

storios, ut recte interpretati sunt Salmasius, Rutgersius et Vulpius ad Ammian. Marcellin. XXVIII, 6,) comparasse non poenituit. Vid. Sueton. in vita Horatii § 1.

Quae quum ita sint, quomodo Horatius pater filio vestimenti splendorem et servorum comitatum addere potuerit, deliberanti mihi non satis constare ingenue fateor. *Vestem* enim h. l. vestimentum splendidum et pretiosum significare, qua »gloria« patris »supra vires texerit« (Epist. I, 18, 22) filium, satis apparet.

Antequam autem ultra progrediamur, quaeramus, qualis vestimenti splendor cogitandus sit. *G.* quidem *Fabricius* in epistola dedicatoria editioni suae (Lips. 1585) praefixa *vestem* intellexit *togam praetextam*. Narrat enim: »Pater Horatii ea fuit vir prudentia et erga filium amore, ut alacritate ingenii in eo animadversa Romam ipsum portaret: ibidem et *vestem* ei *praetextam* dedit et *binos servulos* pro re sua adhibuit.« Si verum esset, quod *Heindorfius* ad Sat. I, 2, 16 multis cum aliis affirmat, pueros nobilium tantum parentum toga praetexta usos esse, cum Fabricio credere possemus, Horatii patrem eo insaniae progressum esse, ut vestimento ignobile filii genus occultaret. At idem Macrobius, quem huius rei testem provocant, eodem capite (Saturnal. I, 6), quo narrat, a Tarquinio Prisco morem esse inductum, ut praetexta et bulla in usum puerorum nobilium usurparetur, tradit, postea, inde a belli Punici secundi tempore libertinorum quoque filiis, qui ex iusta dumtaxat matre familias nati fuissent, praetextam concessam esse. Itaque Horatio puero, quum, ut ipse significat,*) *ingenuus* (i.e., ut iurisconsulti definiunt, qui sta-

*) Sat. I, 6, 7 ad Maecenatem

»Non quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarent,
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum,
Quum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ***ingenuus****: persuades hoc tibi vere* etc.

Mitscherlichius quidem v. d., quum (Racematt. Venusin. Fasc. V. p. 6 et 7) ad refutandum Heindorfium, qui *ingenuum* eum tantum dici contendit, qui ingenue natus sit, neque hanc vocem ad morum honestatem referri posse, nisi substantivo adiiciatur, veluti *ingenuus animus*, *ingenuus vultus*, *ingenuae artes* etc., opinionique suae firmandae addit, Maecenati vix licuisse in amicis et convictoribus habere eum, qui modo servierit, nisi omnes decori rationes conturbare voluisset, recurrit ad locum Suetonii de illustr. grammaticis XXI, ubi *Melissus*, *servus Maecenati* (cui pro grammatico muneri datus erat,) *gratus acceptusque in modum amici* fuisse narratur. Quo loco nihil efficere mihi videtur vir doctus. Nam primum Suetonius l. c. narrat, *Melissum Spoleti natum* ***ingenuum*** sed ob discordiam parentum expositum; deinde vero non idem est, *receptum esse in numerum amicorum et convictorum*, et *gratum acceptumque esse alicui* ***in modum amici***. Quod vero dicit vir doctus Horatium in genere rectum Maecenatis indicium in aestimandis hominibus laudare, quod non a natalium splendore aut obscuritate, sed a cuiusque indole ac moribus ducatur, ideoque per

tim, ut natus est, liber est,) esset, toga praetexta uti licebat. Nisi igitur credere volumus, Horatium spectare morem tenuiorum hominum, qui, ut servi, in tunicis non verebantur prodire, unde Epist. I, 7, 65 *tunicatus popellus* est infima plebs (Vide praeter ea, quae ad eum locum annovavimus, Sueton. in vita Augusti c. 40, ubi narrat, Augustum etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuisse, ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundum clamasse: En Romanos rerum dominos gentemque togatam!) intelligenda videtur vestis fusa et tenuis (Sueton. Aug. 73.), pretiosa purpura praetexta, qualem divites et delicati gestabant, dum pauperes et rigidi vestibus arctis et crassis, non murice et cocco, sed herbarum succo infectis, quas Cicero pro Sextio cap. 8 plebeias et paene fuscas vocat, utebantur. Quare Seneca Epist. 114 scribere potuit: *Togis enim inter se, non iudiciis dissident.* At longe abest, ut Horatii patrem exaequámus Basso illi apud Martialem (Epigr. V, 24), qui veste murice tincta equitem mentitus designatorem fallere volebat.

Jam videamus, quinam fuerint *servi sequentes.* Satis notum est, Romanos nobiles non sine servorum magno comitatu in publicum prodire solitos esse, quorum alii (anteambulones) domino per turbam hominum eunti transitum aperientes praecedebant, alii (pedisequi) eum sequebantur. De his hoc loco non agi, non est, quod dicam. At vero divites ac nobiles, qui educationi puerorum ipsi operam dare non possent, more Graecorum pueris servos *paedagogos* addebant (Vid. Quintil. Instit. orat. I, 1, 8.), qui et ipsi *custodes* dicebantur, ut vel e duobus Horatii locis notum est, A. P. 161:

Imberbis iuvenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi.

Sat. I. 4, 118:

— — — — *mi satis est, si*
Traditum ab antiquis morem servare tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum.

---

rinde habeat, *quali* quisque *parente* prognatus sit, respondeo, more Romano servili loco ortum *nullo patre natum* iudicari. Unde Horatius addit

— — — „*persuades hoc tibi vere,*
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos.

Vid. quae annotavimus ad Epist. I, 7, 55. Quemadmodum autem Augustus secundum Suetonium in vita Augusti cap. 73. neminem unquam libertinorum coenae adhibuit praeter Menam, sed *assertum in ingenuitatem atque aureorum annulorum iure donatum:* sic etiam Maecenas in amicitiam non recipiebat nisi ingenuos, non anxie curans, fuerintne libertino an claro patre procreati, modo ipsi essent ingenui.

Hi paedagogi pueros non solum in theatra (Vid. Sueton. August. 44.), sed, ut nutrices puellas, in scholam euntes comitabantur eosque tutabantur ab insidiis eorum, qui apud Graecos *παιδομανοῦντες* dicebantur. Praeter hunc *custodem* etiam *capsarius* servus, qui secundum Ulpianum pueri libros (in capsa) portaret, in scholam euntem comitari solebat. Weberus quidem ad Juvenal. Sat. X, 117 capsarium eundem fuisse ac paedagogum putat, cui tamen opinioni obstat Suetonii locus in vita Neronis cap. 36: „*Damnatorum liberi urbe pulsi enectique veneno aut fame. Constat quosdam cum paedagogis et capsariis uno prandio pariter necatos*“; quo loco paedagogi distinguuntur a capsariis. Hos servos, custodem et capsarium, in animo habuisse videtur *G. Fabricius*, quum l. c. dicit, Horatii patrem *binos servulos* pro re sua adhibuisse.

At pater Horatii, ut omnem curam filii educationi impendere posset, relicto et agello et munere, quo Venusiae functus erat, veritus, ne filius illecebris urbanis corrumperetur, hunc non custodiae servi satis periculosae commisit, sed ipse, paedagogi munere suscepto,

— — *custos incorruptissimus omnis*
Circum doctores aderat

et ab omni non solum facinore verum opprobrio quoque turpi eum servabat.

Carolus quidem *Hermannus* (in disputatione supra citata pag. 20.) non dubitat, quin inter eas causas, quae Horatii patrem moverint, ut filium Romam transportaret, ea quoque fuerit, ne puerorum illorum magnorum magnis e centurionibus ortorum sodalitio corrumperetur turpesque mores assumeret, suspicaturque vocabulum *magni* h. l. ea significatione usurpatum esse, qua Plautus *fortem* interdum (Mil. glor. IV, 3, 18. Bacchid. II, 2, 38 et imprimis Pers. V, 2, 65: „*hiccine Dordalus est leno, qui quondam virgines — hiccine est, qui quondam fortis?*) eum appellet, qui rei venereae aptus sit. At huic suspicioni cum loquendi usus tum experientia adversatur. Neque enim me intelligere fateor, quo pacto vir doctissimus credere potuerit, Horatii patrem, ne pueri mores corrumperentur, e parvulo oppido, ubi rustica morum simplicitas solet esse, Romam, omnis generis deliciis ac vitiis corruptissimam urbem filium transportasse, quum multa plura et maiora pudori atque honestati eius pericula imminerent in urbe, qua, ut Sallustii verbis utar, omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tamquam stipatorum, catervas haberet.

Quum igitur in tanta tamque corrupta urbe ipse pater munus *custodis* suscepisset, unus tantum restat servulus — capsarius; neque hunc quidem puero concesserim, quia eius pater, homo sobrius et „traditi ab antiquis moris“ tenax a se impetrare vix putandus est, ut morem divitum et nobilium secutus pueri capsam servo portandam tradiderit.

His praemissis quaerat quispiam, cuiusnam rei caussa haec omnis disputatio instituta sit, quum poëta ipse vestem servosque sequentes a patre sibi additos esse expressis verbis narret. Ego vero nego, hoc a poëta narrari, neque e nostro loco quicquam sequi

contendo, nisi senatorum et equitum i. e. nobilissimorum civium filios in scholam euntes vestium splendore et servorum comitatu conspicuos fuisse. Non enim dicit, „si qui vestem *meam* servosque *me* sequentes vidisset, — crederet“, sed postquam narravit, se iisdem, qui equitum et senatorum filiis fuerint, praeceptoribus non sine magna patris impensa usum esse, quum centurionum magnorum pueri pro minimo didactro *) in Flavii Venusini ludum mitterentur, hoc addit: Si qui (praeterea) vestis splendorem et servorum comitatum, ut est in magno populo, ubi puerorum nobilium et divitum vestes pretiosae servique sequentes conspiciuntur **), vidisset, sane crederet, me locupletis ac nobilis hominis filium esse. — Quod si ita haec verba intelligimus non opus est, ut cum Heindorfio statuamus, plusquamperfectum *vidisset* positum esse pro imperfecto *videret*. Nam quemadmodum coniunctivus plusquamperfecti *vidisset* summam pronuntiati non tamquam rem factam proponit, sic coniunctivus imperfecti *crederet* exprimit id, quod secuturum esset, si conditio prioris membri rem factam contineret. Latet vero in sententia conditionali hoc oppositum: At nemo vidit vestem servosque seqq., quare nemo credere poterat, me nobili loco natum esse. (Vid. Liv. IX, 19, 5: „Persas, Indos aliasque *si adiunxisset* gentes Alexander, impedimentum maius quam auxilium *traheret*.“ Cic. de Senect. 6, 19: „Num, *si* Scipio ad centesimum annum *vixisset*, senectutis eum suae *poeniteret*.“). — Denique, quod maximi momenti est, verba, quae sequuntur V. 81. 82 „*Ipse mihi custos — aderat*“ satis docent, explicationem a nobis propositam esse verissimam; nam pronomen

---

*) Vocabulum *aera* V. 75 non proprie, ut vult Hermannus, sed omnino pro exigua mercede sumendum esse, recte monet Orell. praefat. pag. VIII.

**) *In magno ut populo* V. 79. Haec verba, quorum Hermannus nullam habuit rationem, viris doctis plurimum facessivere negotii. Ut nihil dicam de contorta Lambini ratione, qui accurate cum praecedentibus ea iungens explicat: adeo, ut si quis magno in populo — vidisset etc., Orellius contra loquendi usum hanc prorsus supervacuam et otiosam illis tribuit sententiam: „*quatenus* id fieri *poterat* in tanta hominum aliud agentium multitudine, in qua etiam melius vestiti veluti latent atque in paucorum oculos incurrunt.“ Neque melius alii contra mentem Horatii: „ut in magno populo sive in magna urbe fieri *debet*, ne quis vel contemnatur vel solus sine pedisequis ambulans in periculum aliquod incurrat.“ Ad verba „*in magno ut populo*“ supple potius „*est*“ vel „*esse solet*“, vel etiam e verbo „*vidisset*“ sumi potest „*videre solemus*“, scil., ut cum Seneca loquar, *puerorum perspicuos cultu greges*, cum servorum comitatu in scholam euntes. *Magnus populus* est „*urbs regia*“ (Horat. Epist. I, 7, 44), in qua sunt multi divites et nobiles homines, cui opponitur popellus Venusinus, ut Sat. I, 5, 1 *magna Roma* Ariciae modico hospitio, nisi forte satius est explicare: ut in hominibus opulentis et nobilibus esse solet, wie es bei dem vornehmen Volke d. i. bei vornehmen Leuten der Fall ist. *Populus* enim interdum simpliciter significat homines, ut Epist. I, 7, 65 *tunicatus popellus* pro tenuioribus hominibus, et *magni* saepissime apud Horatium aliosque sunt nobiles, potentiores et divites, ut contra *parvi* humilioris conditionis homines. Vid. Epod. 4, 15. Sat. I, 6, 72. II. 1. 76. II. 6, 95. Epist. I. 7. 58. I. 17, 2.

Ipse primo loco positum, ut saepe alibi, particula adversativa omissa, facit oppositionem indicatque, patrem non servis levibus et corruptelae omni obnoxiis filii curam commisisse, sed ipsum custodem incorruptissimum vitae, famae, saluti eius consuluisse.

Haec sunt, quae nobis ad sententiam nostram suffulciendam patremque Horatii a vanitatis crimine vindicandum dicenda videbantur. Ignoscant lectores, quod in parva re copiosiores fuimus. Ceterum non diffitebor, nostram huius loci explicationem iam a *Christoph. Landino* (Edit. Horat. Venet. 1486) *et Car. Batteux* (Les Poësies d'Horace, traduites en Francois. Paris 1763.) prolatam esse, quorum ille haec annotavit: „Si, quum artibus liberalibus erudiebar, habuissem vestem pretiosam et servos, omnes crederent, me ex nobilibus ortum. Non poterat paedagogum praebere. At ipse paedagogi munere fungebatur,“ hic sic locum interpretatus est: „Il ne me manquois, dans une si grande ville, pour faire croire, qu'un riche patrimoine fournissoit à ma depense, que d'être richement vêtu et suivi de plusieurs esclaves.“ Nec aliter de hoc loco iudicasse videtur vetus auctor vitae Horatii, maximam partem ex ipsius eius scriptis ductae, quam Alex. Minutianus in Edit. Mediol. 1486 primus vulgavit. Verba eius sunt: „Quum pater puerum Romam misisset in ludum literarium, *parcissimis eruditus impensis,* angustias patris vicit ingenio.“

Commentatio de codicibus libr. IV et V orationum Verrinarum.

Scripsit *C. A. Jardan.*

Particula I.

Omnis artis criticae in scriptis veterum recte exercendae fundamentum est certum ac verum de codicum auctoritate iudicium. Quam in rem cum priorum saeculorum editores parum diligenter inquisiverint, nostra memoria virorum doctorum cura et industria, quod antea praetermissum erat et neglectum, suppletum est et reconcinnatum. Atque in orationibus quidem Verrinis cum priores editores non haberent certi quidquam, quod in contexto constituendo sequerentur, sed inter meliorum et deteriorum codicum auctoritatem incerti fluctuarentur: Zumptius primus rectam viam ingressus in prooemio editionis breviter quidem, sed caute et prudenter de codicum origine, cognatione, auctoritate disputavit. Hinc factum est, ut contextus Verrinarum, eo usque multis mendis atque interpolationibus foede inquinatus, longe purior et emendatior Zumptii studio et opera in lucem prodiret. Sed ut fieri solet in tam amplo et difficili opere, restabant multa diligentius etiam perquirenda elegantiusque perpolienda; qua in re eximia industria ac doctrina elaborarunt Madvigius et Orellius. Namque Orellius, qui duas collationes codicis praestantissimi Parisiensis nr. 7774 ab Hanharto et Jac. Eschero, et codicis Leidensis collationem a Bakio accepisset, librum IV et V nova cura emendatum seorsim edidit; Madvigius varias scripturas codicis optimi bibliothecae regiae Paris. in editionis Brutinae margine adscriptas cum in bibliotheca Havniensi invenisset, epistolam criticam de orationum Verrinarum libris II extremis emendandis ad Orellium misit, qua summo quo excellet ingenii acumine eximiaque dictionis Tullianae peritia innumeros locos recte constituit; postea dissertationem criticam de locis aliquot Verrinarum edidit (Opusc. I p. 323. sqq.), qua in codicum imprimis Guelferbytanorum auctoritatem accuratius inquisivit. Multum praeterea ad emendandas has orationes contulit Madvigius in disputatione critica de Q. Asconii Pediani commentariis. Klotzius de codicum auctoritate nihil disputavit, quamquam quid de iis senserit, ex contextus conformatione, quam proposuit, satis apparet. Jam vero paraturus erat Orellius in altera operum Tullianorum editione novam orationum Verrinarum recensionem, cum praematura nobisque acerba morte abreptus est. Post eius obitum Baiterus hanc novam Verrinarum recensionem nobis benevole commisit et collatio-

nes codicis regii Parisiensis et Leidensis ex copiis Orellianis ad nos misit. Quas cum diligenter pertractaremus, post messem ab aliis factam spicas tamen aliquas esse legendas intelligebamus, quas quidem hac commentatione colligere visum est.

Ac primum quidem constat et exploratum est omnium codicum, quibus duo extremi libri Verrinarum continentur, praestantissimum esse regium nr. 7774. Sed de ea re ambigitur, utrum collatio Havniensis ex illo codice, an ex alio Parisiensi facta sit. Etenim Zumptius (p. XXII) et N. B. Krarupius, qui codicis regii collationem cum Madvigio communicavit, collationem Havn. ex eo esse depromptam suspicati sunt, neque Orellius de ea re dubitavit; Madvigius autem, qui (Epist. crit. p. 12) collationem Havniensem et Graevianam ex uno eodemque codice regio factam esse statuerat, postea (Op. I p. 355. seq.) Havniensem non ex regio nr. 7774, sed ex alio codice eiusdem familiae esse profectam censuit, hos duos tamen codices ex uno *proximo* esse derivatos, non solum ex communi fonte distantiori nec per successionem. Atque in hanc quidem sententiam deductus est collatione codicis regii a Krarupio accepta; quam utinam totam, vel certe maiore ex parte, quam factum est, publicasset, ut certius de Krarupii diligentia, quam summam putat Madvigius, iudicare liceret. Nos quidem huic diligentiae iure diffidere videmur ex iis, quae in Hanharti et Escheri schedis e codice regio excerpta habemus, quae quidem res minutissimas, menda, verborum notas scripturaeque compendia et quae sunt eius generis alia, accuratissime enotata continent, ita ut quid in illo codice legatur vix ullo loco dubium esse possit. Fundamenta autem suae opinionis Madvigius haec habet, quod Krarupius nonnulla notavit, quae in Havn. collatione non sunt; tum quod in Havniensi quoque nonnulla sunt, quae apud Krarupium non sunt; denique quod aliquot locis diversae notatae sunt et perscriptae eiusdem loci lectiones: quae quidem fundamenta facile posse subduci arbitror. Nam omnia ista similiter acciderunt in Hanharti et Escheri collationibus, quas diligentissime esse factas nemo, qui eas manu tractaverit, negabit; quas, si Madvigii rationes sequi liberet, non ex eodem codice esse profectas coniicere liceret. Tum vero Madvigius in eo erravit, quod collationem Havniensem summa cum cura esse institutam opinatus est; nam ab anonymo illo, qui contulit codicem, multa cum leviora, tum graviora esse omissa mirum videri iis non potest, qui quae fuerit illius aetatis in codicibus conferendis socordia recordantur (cf. Madv. p. 12.); quamquam anonymus ille pro sui aevi negligentia rem satis diligenter administravit. Nihil igitur certi inde colligi potest, quod Krarupius nonnulla (Hanhartus et Escherus permulta!) notavit e cod. regio, quae in collatione Havn. non sunt. Quod praeterea in collatione Havn. nonnulla extant, quae Krarupius non notavit, et quod aliquot locis diversae perscriptae sunt lectiones, ne haec quidem ad persuadendum sunt apta. Quidni enim veri simile putabimus alterum utrum, sive anonymum sive Krarupium, errore sive oculorum sive mentis ac memoriae in transcribendis scripturae diversitatibus lapsum esse? quod quam facile accidere possit,

omnes, qui talia ipsi tractarunt, probe sciunt; idque etiam Hanharto et Eschero, hominibus diligentissimis, interdum accidisse video. *)

Primum exempla ponam, ubi *eR* diversam scripturam notavit, *hR* tacet:

Lib. IV § 3. *illa in civitate* eR.	*in illa civ.* hR. tac.
§ 4. *Praxiteli* eR. p. m. oR. *Praxitele* eR. sec. m. gRh.	*Praxitelis* hR. tac.
§ 11. *credo est* eRh.	*est credo* hR. tac.
§ 30. *fugientes* eRh.	*profugientes* hR. tac.
§ 109. *a cottidiana* eR. omnes boni	*quotidiana* hRh. tac.
§ 133. *emisse* eR.	*emisse se* hRh. tac.

Alterius generis exempla, in quibus *hR* habet, quae *eR* omittit, haec sunt:

Lib. IV § 6. *et basilieas* hoR.	*ac basilicas* eR. tac.
— § 10. *non licere sed al. er.* hR.	*non liceret* eR. tac.

Hoc loco Madv: „*non liceret*] *non licet erant* (si recte lego)."
Vides ex hR., quid in Rh. fuerit!

— § 86. *domo* hRh.	*domi* eR. tac.
— § 143. *illi ipsi* hR.	*ipsi illi* eRh. tac.
— § 148. *apud illos* hR.	*apud illum* ehR. tac.

Ex utroque genere alia habebis exempla in annotatione critica mea editionis Orellianae. Denique ponam exempla, in quibus *eR* et *hR* diserte diversa notarunt:

Lib. IV. § 17. *est communiarcae* eR.	*ē m̄ muni arcae* hR.

Hanhartus scripturae compendia accurate notavit, Escherus verba suis litteris scripsit. Inde non raro leviores quasdam discrepantias, quales plerasque fatetur esse inter *kR* et *Rh* Madvigius Op. I p. 355, esse ortas notum est, cum et compendia similia facile ab iis, qui codicès excuterent, confunderentur, et eadem non ab omnibus eodem modo legerentur, praesertim ubi codicis litterae ipsae non satis plane et distincte scriptae erant.

— § 42. *quique maxime* oeRh.	*quique maximi* ghR.
— § 83. *conlocavit* eR.	*collovit* hR.
— § 103. *reportandos quae* eR.	*reportandos* hRh.
V. § 146. *ea* eRh.	*et eam* hR.

Adde huc:

IV. § 46. *ev$\overset{u}{o}$lso* eR. *evulso* hR. *evolso* oR. *revulso* gR. *revolso* Rh.

---

*) Collationem Escheri signabo *eR.*, Hanharti *hR*, Krarupii *kR*, Graevii *gR*, Havniensem *Rh.*, anonymi apud Orellium in Epist. crit. ad Madv. p. VI. 59. *oR.*, *G.* I. 2. = Guelferbytanus, I. 2. *Ld* = Leidensis, VL. = codex vetus Lambini, *Vst* = codex vetus Stephani, *V.* = Vaticanus, E = Erfurtensis. *C.* = Cuiacianus.

— § 49. *amanum* eR. *ac manum* hR. *amnum* Rh.
— § 118. ext. *divinctus* eR. *diiunctus* hR.
— § 128. *Urium* (corr. *Urion*) eR. *urian* hR. *uriam* Rh.

Nolo plura afferre; res aperta. — Sed cum Madvigius ex Krarupii et anonymi collationum discrepantiis in decem libri V capitibus colligere posse sibi visus est, Havniensem collationem non ex regio 7774, sed ex alio, fortasse ex regio 7775, esse depromptam, accuratius quid rei sit considerabimus.

Ac Krarupium quidem codicem regium non accurate contulisse ex nostris collationibus liquido apparet; cuius rei haec ponam exempla:

§ 4. *at felix* ehRh.	*et felix* R. tac. Kr.
— *constitutum* om. ehRh.	*constitutum* R. tac. Kr.
10. *fuerant nominati* ehRh.	*nominati erant* R. t. Kr.
— *palum* ehRh. tac.	*palam* Kr.
14. *servo* ehRh.	*servis* R. t. Kr.
— *et cruciatus* ehRh.	*cruciatus* R. t. Kr.
18. *Apollinium* ehRh.	*Apollonium* R. t. Kr.
20. *honessimae maximae civitatis honessimum* ehR.	*honestissimae maximae. civ. honestissimum* Kr.

H. 1. nec Krarupius nec anonymus codicis scripturam tam accurate, quam ehR., notarunt; anonymus *honestissime maxime* per errorem habet.

25. *ab illo iudices* ehRh.	*iudices ab illo* R. t. Kr.

Adde:

117. *homo* ehRh.	om. R. t. Kr.
129. *uxores* om. ehRh.	*uxores* R. t. Kr.
141. *recuperor ee* ehRh.	*recuperatores* R. t. Kr.
146. *et inmaioribus* ehRh.	*et maioribus* R. t. Kr.

quo loco errat Madvigius, qui reliquos codices *et maioribus* habere dicit; *et in maioribus* habent codd. Lbi. Vides igitur diligentiam Krarupii, cui confidere posse sibi visus est Madvigius! Multo sane diligentior fuit anonymus; at ne ille quidem, ut supra diximus, satis diligens: nam multa ab eo esse neglecta, quae in codice eius sine dubio extabant, innumeris exemplis ostendi potest, quibus omisit ea, quae cum in regio 7774, tum in plerisque omnibus bonis codd. reperiuntur. Atque hoc in genere imprimis multi eorum locorum sunt habendi, in quibus in editione Brutina nihil diversitatis adscriptum invenit Madvigius. Habes ex primis decem capitibus libri V. paucisque, quos praeterea Madvigius l. l. attulit, locis haec eius generis exempla:

Lib. V., § 12. *et bellum* ehkR. VL. Ld. *ac bellum* Rh. tac. Anon.
— *et ad palum alligatos* om. ehkR. G. 1. 2. Ld. Vst. 2 codd. Lbi. Habet haec. R. t. A.

15. *servitiorum* ehkR. VL. Vst. Ld. *servorum* Rh. t. A. De G. 1. 2. tacet Zpt.

20. *frugalitatis* ehkR. Ld. *frugalitate* Rh. t. A.

23. *multos* ehkR. Ld. G. 2. Lg. 29. *multo* Rh. t. A. (sic. G. 1.)

26. *tempestatum* ehkR. Vst. VL. G. 1. 2. Ld. *ad temp.* Rh. t. A.

94. *habita etiam tumultus, habita dignitatis* ehkR. Vst. VL. G. 1. 2. Ld. *habita est tum., hab. etiam dign.* Rh. t. A.

126. *et eius legis* ehkR. Vst. G. 1. 2. Ld. *et vos ei legi* R. t. A.

His exemplis pauca ex innumeris eius generis addam ex libro IV. deprompta:

IV. 18. *testim. ac iureiurando* ehR. G. 1. 2. Ld. mLb. V. Lg. 29. *iureiur. ac test.* Rh. tac. Anon. —

— 38. *versata* ehR. cett. noti. *versatae* Rh. t. A.

— 38. *pocula* oehR. C. VL. E. G. 1. 2. Ld. *pocula duo* Rh. t. A.

73. *in victoria* ehR. omnes boni. *victoria* Rh. t. A.

73. *Himera* ehR. omnes boni. *Himerae* Rh. t. A.

88. *publicum* ehR. Vst. G. 2. Ld. *publice* Rh. t. A. (om. G. 1.)

88. *rerum* ehR. mLb. G. 1. 2. Ld *rerumque* Rh. t. A.

100. *possitis* ehR. Vst. E. G. 1. 2. Ld. *possetis* Rh. t. A.

114. *vobis est* ehR. VL. G. 2. Ld. *nobis est* Rh. t. A. (G. 1.?)

105. *eos* ehR. Vst. G. 1. 2. Ld. *per eos* Rh. t. A.

Itaque non debebat Madvigius (Op. I p. 372. not.) locum V. §. 115. habere insignissimum ad diversitatem codicum *ehR* et *Rh* ostendendam. Nam cum omnes boni (ehR. Vst. G. 1. 2. Ld. V.) illud additamentum *(Indigne* s. *Indigni ferunt)* habeant, sine dubio per incuriam neglexit illud anonymus notare esse in suo codice i. e. regio. — Omisit autem praeterea in illis decem capitibus libri V. Krarupius varias quasdam lectiones, quae, quamquam mendosae sunt pleraeque, tamen diligentiam Hanharti et Escheri, Krarupii negligentiam testantur. 54. *militari*] *mitari* ehR. — 5. *communicatam*] *communicat an. — pervasit*] *parva sit.* — 13. *ad non*] *ut non.* — 14. *quin*] *qui in.* — 16. *Diocli*] *Dioclis. — Panormitano*] *Panhormitano.* — *manifestius*] *manifestus.* — *conventus*] *convectus.* — 17. *coniici*] *coici* (n superscript); inde *coici* Rh. — 18. *indemnatos*] *idem natos.* — 21. *aditus*] *aditur. — subiici*] *subici.* — *C. Marii*] *Gai Mari.* — Hinc igitur satis superque apparet nec Krarupium nec anonymum in codice conferendo tam diligentem fuisse, ut plena fides iis habenda sit.*) Nec enim quisquam ita nobis obloquetur, ut talia menda in codice anonymi fuisse neget; fuerunt profecto; sed ea, ut multa alia bona ac probabilia, non enotavit anonymus.—

*) Cum iam in eo essemus, ut commentationem hanc typographo traderemus, allatus est nobis Halmii nostri libellus: Zur Handschriftenkunde der Cicer. Schriften. Muenchen 1850, in quo (pag. IV not.) Krarupii incuria in conferendo codice Paris. nr. 7774. iure notata est.

Quibus expositis aperte ac plane intelligi arbitror Madvigii rationibus nihil effici, quo codicem anonymi a regio diversum fuisse demonstretur.*) Iam vero videamus ea, quibus codicem anonymi eundem esse ac regium probabile fiat. Illud quidem concedit Madvigius, codicem anonymi tam similem esse regio, ut ex *uno proximo* ambo derivati esse videantur. At illa similitudo vel potius consensio tanta est tamque mirabilis, ut, si quidem aequus esse iudex velis nec praeoccupata quadam teneri opinione, collationes ehR et Rh ex eodem codice fluxisse confitearis necesse sit. Pauca afferam ex multis huius consensionis mira exempla ac testimonia. Lib. IV., § 17 in utraque collatione est: *ē m̄ muni arcae* puncto etiam sub *a* posito, quo in R. saepissime significatur scribae errore litteram male esse additam delendamque IV. § 56. *gonrit* ehR *gonvit* Rh („aut simile quid; neque enim satis clare lego“ *Madv.)* Mira consensio; nam *norunt* G. 2. Ld. *gnorunt* G. 1. *cognorit oR (?) cognoverunt* s. *cognoverint* cett.

§. 81. *Deinde*] *de L̄ N̄ de* eR et Rh. *de l. m. de* G. 2 Ld. *del* (vacuo spatio relicto) *de* G. 1. *Ne* dett. — V. §. 114. in R. legitur *t. veccium;* sed inde tum teste Eschero factum est *totve civium.* Hinc in [Vst.] Ld. utrumque transiit *totve* [Vst.] s. *totne* [Ld.] *civium P. Vettium.* De G. 1. 2. tacet Zptius. Codicem R. ante oculos habuisse anonymum sed non accurate, quae in eo extant, transcripsisse ex iis, quae Madvigius ad h. l. notavit, perspicitur. V. § 115. *suorum furtorum*] *suarum furturum* (na suprascr.) sic ehR. *suarum furturum* Rh. (Anonymus syllabam a sec. m. suprascriptam omisit) *suarum fortunarum* G. 1. 2. Ld. — V. 128. *domu* (o suprascr.) eR. *domo* hRh. — 143. *statis* (sct suprascr.) sic ehR et Rh; sed ehR tradunt *sta* esse lineola notatum ad mendum librarii significandum. Vst. (de quo vide in Part. II plura) *scitis,* G. 1. 2. Ld. *sciatis,* dett. *statuistis.* — V. 103. *vellet*] *vallet* (valeret suprascr.) eR. *vellet* hRh. tac. Inde *valeret* Vst. G. 1. 2. Ld. — IV. 29. *phalerasublatas* (s suprascr.) eR et Rh — IV. 54. *magna hominem multitudinem* (corrupte) ehR. et Rh. IV. 59. *telar* (corr.) ehR. et Rh. IV., 65. *regio*] *religio*^{so} sic ehR et Rh; sed ^{so} a sec. m. scriptum librarii imperiti, qui li punctis notatum esse non animadverterat. Inde est in VL. G. 1. 2. Ld. E. *religioso.* Haec exempla, opinor, ad codicis regii praestantiam collationisque Havniensis ex eo originem declarandam sufficiunt. At si quis nostrae sententiae cum Madvigio eam suspicionem opponat, codicem anonymi esse unum eorum sex Parisiensium, quos ad libr. IV. c. 30. 31. et V. c. 33. 34. commemorat Zptius, plane refutare hanc suspicionem propterea difficile est, quod Zumptius nec codices ipsos accurratius descripsit, nec ex quibus quaeque lectiones sint depromptae, satis distinxit. Commemorat autem, ni fallor, quadraginta fere locis varias lectiones illorum codicum; ex his decies sexies quattuor Parr., decies ter tres Parr. cum regio consentiunt; sed illud incertum, utrum quattuor s. tres illi semper sint iidem, an diversi. Quapropter omne deest fundamentum, qua disputatio aliqua niti possit; in re tam incerta illud unum certum est, inter illos Parr. esse etiam regium

*) Ne quid tamen consulto omisisse videar, illud afferam *kR* habere § 20. *redimisse*, ehRh tac. *redemisse.* Utra scriptura re vera in R. sit, incertum videri potest, quoniam alibi quoque litterae *e* et *i* ita similes sunt in codd., vix ut dignosci possint. § 186. *convellere e suis* kR. *convellere suis* ehRh Vst. G. 1. 2. Ld. Sine dubio Krarupius h. l. erravit.

nr. 7774, atque in hoc uno nr. 7774. apud Zptium eadem est verborum collocatio lib. V. §. 87, quae est in Rh, *„piratarum esse navis,“* in ceteris non item; quo testimonio iure uti licet ad nostram de collationis Rh. origine sententiam firmandam. Collatio vero anonymi ex Parr. A. et B. facta esse non potest, quia IV. §. 69. *enim est* habent, (ehRh *enim*) et §. 70 *Antiochum — ad istum esse* retinent, quae verba om. ehRh. Nec vero ex Par. C. anonymus sua hausit; nam V § 89. C. habet *res sese* (*res se* ehRh.) et addit IV. §. 70. *Q.* ante *Mucium.* Nec denique ex Par. D. aut nr. 7775. profectam esse collationem anonymi hae diversitates ostendunt:

V. § 89. *haberi* C. D. nr. 7775. *habere* Rh. tac. A. et ehR. Ibid. *quod Cleomenes nisi* C. D. *quod Cleomenes* ehRh.

IV. § 68. *nobiliore tam eximiam iniuriam tam acerbam.* D. nr. 7775. *nobili re tam eximia iniuria tam acerba* ehRh.

Adde V. § 88. *etiam nunc.* B. *etiam tum* ehRh.

Quod si ex his paucis exemplis coniecturum certam facere liceat, cum ab A. B. C. D. et Par. 7775. differat aliquoties Rh, semel *unus* nr. 7774 ex omnibus sex Parr. cum Rh. consentiat; Rh. ex regio nr. 7774, sicuti ehR, originem ducere iure statuas. —

Unum restat, quod quis non sine aliqua probabilitatis specie opponat nostrae sententiae. Sunt enim pauca quaedam exempla, in quibus Rh et ehR inter se discrepant.

IV.	1.	*quaeritis* Rh.	*quaeretis* ehR. cett. omnes.
—	4.	*et intellig.* Rh. cett. boni.	*atque int.* ehR. tac.
—	20.	*qui item* Rh.	*qui te* ehR. omnes boni.
—	89.	*praesidium* Rh.	*praesidii* ehR. cett. omnes.
—	90.	*arbitrabere* Rh. cett. boni.	*arbitrabare* ehR. tac.
—	107.	*prope* Rh. Vst. VL. G. 1. 2. Ld.	*propter* ehR. tac.
—	144.	*scriptum est* Rh. Ld.	*scriptum esse* ehR. tac.
—	146.	*quaestor p. R.* gRh.	*quaestor* ehR. cett. tac.
V.	25.	*sed aliud* Rh. Vst. G. 1. 2. Ld.	*sed ad aliud* ehR. tac.
—	43.	*uti.* Rh. G. 1. 2. Ld Lg. 29.	*ut* ehR. tac.
—	80.	*luxuriem* gRh.	*luxuriam* ehR. tac. V. G. 1. 2. Ld.
—	129.	*eius excit. fil. ab inf.* Rh. G. 2. Ld.	*eius exc. ab inf. fil.* ehkR. G. 1.
—	131.	*ita* Rh.	*is ita* ehR Vst. G. 1. 2. Ld. V. (*ista* dett.)
—	151.	*tibi* Rh. dett.	*tibi id* ehR. tac. G. 1. 2. Ld.

Neque tamen his exemplis quidquam effici posse arbitror; nam primum ea exempla, in quibus *ehR* tacent, ceteri boni cum Rh. faciunt, incuriae Escheri et Hanharti tribuenda sunt; deinde ea, in quibus Rh. solus discrepat ab ehR ceterisque bonis, errori anonymi si adscribamus, nemo certe nos calumniae insimulabit. Quae exempla si exemeris ex illo numero, nihil iam, quod alicuius momenti sit ad Madvigii sententiam stabiliendam, restabit. — De collationibus Graevii (gR) et anonymi apud Orellium (oR) non opus est nec operae pretium multis h. l. disputare; vix enim quisquam dubitabit, quin illae ex eodem codice regio nr. 7774 profectae sint.